

*De præparatione Stibij, quod vulgus  
Antimonium vocat,**Caput XUI.*

**H**Vius Hungarici, vel alias optimi Germanici, libras aliquot accipe, quas in mortario subtilissimum in puluerem tere. Hunc in olla terrea per transversum supra carbones accensos collocata, rude ferrea tantisper agitabis, donec propter fusionem in glebas fuerit conversus. Tum rursus in puluerem terendus est, ut prius: & iterum assandus, quo vsq<sup>e</sup> glebas contrahat. Hic processus toties erit iterandus, donec puluis ille splendorem suum penitus amittat, ac in cinereum cœruleumque colorem cōvertatur. Aliqui tamen illum tandiu torrent assantq<sup>e</sup>, donec in albedinem sit redactus. Calcis huius partes accipe sex, & Chrysocollæ partem vnam, necnon Stibij crudi tantū, quantum Chrysocollæ: quæ simul trita, calci misceantur per optimè. Puluerem huc in